

Vita Caroli, caput VIII

Versio secunda

Illo tempore equitabamus una dierum de Purgolino in Pragam, et sic tarde venimus in castrum Pragense ad antiquam domum purgraviatus. Et nocturno tempore deposuimus nos in lecto, et Bussko de Wilharticz senior in altero ante nos. Et erat magnus ignis in camera, quia tempus hiemale erat, multeque candelae ardebant in camera, ita quod lumen sufficiens erat, et ianuae et fenestrae omnes erant clausae. Et deambulabat nescio quid per cameram, ita quod ambo evigilavimus, et fecimus dictum Busskonem surgere. Ipse autem surgens circumivit per cameram querens, et nichil vidit nec quidquam potuit invenire.

Tunc fecit maiorem ignem et plures candelas incendit, et ivit ad ciffos, qui stabant pleni vino super bancas, et potavit et reposuit unum ciffum prope unam magnam candelam ardentem. Tunc deposuit se iterum ad lectum, et nos induti pallio nostro sedebamus in lecto et audiebamus ambulantes, videre tamen neminem poteramus. Et vidimus ciffum proiectum, et idem ciffus proiciebatur, nescimus per quem, ultra lectum Busconis de uno angulo camere usque in alterum in parietem, qui cecidit in medium camere. Videntes hec territi sumus nimium et semper ambulantes in camera audivimus, neminem autem vidimus. Post in Christi nomine usque in mane dormivimus. Et mane surgentes ciffum in medio camere invenimus et ea nostris familiaribus mane ostendimus.